



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**


Medit. 13. De Baptismo Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

los corporis sursum, animæ verò affectus deorsum reflectere.

9. Antequam dies ille adueniat, quo à Domino frumenti instar in area ventilabimur, bene ipsi nos examinemus, verene triticum simus, an palea, id est, an sint in nobis fructus pœnitentiæ, & bonorum operum, & non nomen tantum hominis Christiani; sine operibus præferamus procuremusque dum tempus habemus opportunum, ita agendi causam nostram, ne ad extremum, vt palea in ignem æternum abijciamur.



MEDITATIO XIII.

DE BAPTISMO CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Matri valedicens, ad Ioannem baptizandus in Iordane profectus est.* Matt. 3.  
Marc. 1.  
Luc. 3.
- II. *IESVS à Ioanne licet inuito ac dicente: Ego à te debeo baptizari: baptizatur, dicens: Sine modò. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.*
- III. *Spiritus sanctus de cælo descendit, & Pater attestatus est: Hic est Filius meo dilectus in quo mihi cõplacui.*

FIGVRÆ.

POPULO Israelitico transeunte Iordanem, vt ingrederetur terram pro-

promissionis, arca Dei præcedebat omnes, & primò aquam fluminis intravit, quæ diuisæ sunt, donec totus populus transuisset incolumis.

---

PROPHETIÆ.

- Esa. 11.* 1. **R**equieuit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia & intellectus.
- Psal. 28.* 2. Vox Domini super aquas. Deus maiestatis intonuit. Dominus super aquas multas.
3. Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum.

---

DOCUMENTA.

1. **C**hristus, uti verus humilitatis magister, voluit in mundo haberi abiectus & contemptus, dum miscet se peccatorum turbæ; & vult à Ioanne baptizari, & nos, licet peccatis obnoxij, volumus videri honore & gloria digni, atque si aliquid boni in nobis esset, & è contrario defectus, qui in nobis inveniuntur, magno studio occultamus.
2. Christus in omnibus actionibus suis nūquam se demonstravit esse eximium & singularem quendam hominem, sed cæteris similem; quare & voluit circūcidi, in templo præfentari, cum alijs à Ioanne baptizari. Sic serui Dei alieni esse debent à vitio singularitatis, non solum in rebus ad corpus, sed etiam ad mentis deuotionem, & actiones spirituales pertinentibus; ac proinde conari, ut accomodent, quoad fieri potest, in commune se omnibus, nec velint videri aut singulares, aut pecu-

peculiaria præ alijs priuilegia sibi vindicare.  
 3. Cùm Christus à Ioanne postularet bapti-  
 zari. non ante acquieuit, quàm illi à Christo  
 mandaretur. Vnde discimus, dignitates &  
 pralaturas Ecclesiasticas, maximè quæ anima-  
 rum curam adiunctam habent, non esse teme-  
 rè acceptandas, multo autem minus ambien-  
 das vel procurandas. Sed dum offeruntur re-  
 cusandas, & fugiendas, nec accipiendas, nisi ab  
 ijs, qui auctoriatè habent, nobis imperentur.


4. Christus dixit, complementum esse iu-  
 stitiæ; si ipse se submitteret Ioanni, hoc est,  
 creator creaturæ, quomodo ergo gloriari iusti-  
 tiæ nomine possunt, qui non solum non vo-  
 lunt se alijs subijcere, verùm etiam contem-  
 nunt suos inferiores, & vix submittere, se vo-  
 lunt suis superioribus?

5. Christo post baptismum susceptum orā-  
 te apertum est cœlum. Si volumus preces no-  
 stras esse Deo gratas & mēitorias, lauemus  
 prius conscientias, & mundemus animas no-  
 stras ab omni macula peccati. Vbi & illud di-  
 scimus, post receptam gratiam, adhuc frequen-  
 tem orationem necessariam esse ad eam con-  
 seruandam.

6. Christus submittens se Ioannis manū-  
 bus, meruit honorari voce Patris, & à Spiritu  
 sancto, qui visibiliter in eum descendit. Si di-  
 gni esse volumus honore & gloria, quam Deus  
 in Angelorum præsentia seruis suis commu-  
 nicabit in cœlis, humiliemus nos in præsentī  
 vita, & quantum possumus demittamus.

7. Apparuit spiritus sanctus super Chri-  
 stum in forma columbæ: vt indicaret gratiam  
 Spiritus sancti illabi illis, qui habent pro-  
 prietates columbæ: nam primo vtitur gemitu  
 loco cantus; Secundo caret felle. Tertio non  
 ferit

ferit rostro. Quarto non habet ungues recur-  
uos. Quinto educat pullos alienos, vt pro-  
prios. Sic homo perfectus, debet vti gemitu, &  
lachrymis dolorem de peccatis testari. Secun-  
do debet esse mitis, expers omnis iracundia  
& odij erga proximum. Tertio, non lingua of-  
fendere quenquam, aut famam alicuius de-  
trahere. Quarto, nec vsurpare aut retinere  
alienum. Denique debet caritatis & miseri-  
cordia affectu necessitatibus proximi, aequè  
atque suis succurrere.



MEDITATIO XIV.  
DE TENTATIONE  
CHRISTI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Mat. 4.* I. *Christus post baptismum, plenus Spi-  
ritu sancto in desertum profectus,  
Mart. 1.* *40. diebus & noctibus ieiunauit.*  
*Luc. 4.*
- II. *Tertio à Diabolo est tentatus, scilicet  
in deserto, in pinnaculo templi, & in  
monte excelso, sed hostem vicit.*
- III. *Angeli accesserūt, & ministrabāt ei.*

FIGVRÆ.

- Exod. 34* I. **M**OYSES ante datam populo Israe-  
litico legem in monte cum Deo  
quadraginta diebus & quadraginta no-  
ctibus ieiunus permansit.

2. Da-